



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quid sit vsura. cxxvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quid sit usura. Cap. CXXVI.

VSVRA est ubi amplius requiritur, quàm datur. Verbi gratia: Si dederis solidos decem, & amplius requireris: vel si dederis frumenti modium vnum, & super ali- quid exegeris.

*Ex cõcil. Agathẽ. cap. 1.**De eadem re. Cap. CXXVII.*

QVICVNQVE enim tempore messis vel vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem comparant annonam vel vinum. Verbi gratia: Si cum duobus denariis comparat modium vnum, & seruat que dum venundetur denariis quatuor, aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.

*Ex decr. Iulij pape, usura rursus missis cap. 125.**De eadem re. Cap. CXXVIII.*

QValiter negociatorem aut excusat, aut arguit: quia est honestus quæstus, & turpis. Veruntamen pœnitenti utilius est dispendia pati, quàm periculis negociationis adstringi, quia difficile est inter ementis, vendentisq; commercium non interuenire peccatum.

*Ex epist. Leonis pape.**Vt nullus ex ecclesiastico ordine edendi, vel bibendi causa tabernas ingrediatur. Cap. CXXIX.*

CAnonum statuta prohibent, vt nullus ex ecclesiastico ordine sumendi cibi aut potus causa, nisi peregrinationis necessitate compulsus, tabernas ingredi audeat. Sed si aliquis hæc interdicta violauerit, vt sanctorum canonum contemptor, accerrimis corripiatur disciplinis.

*Ex dictis August.**Vt nullus ex sacro ordine cibi, vel potus causa tabernas ingrediatur. Cap. CXXX.*

VT clerici edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

*Ex cõcil. Carthagi. ca. 25.**De eadem re. Cap. CXXXI.*

QUOD nõ oportet sacro mysterio deditos à presbyteris vsque ad diaconos, & reliquum ecclesiasticum ordinem, id est, vsque ad subdiaconos, lectores, cantores, exorcistas, & ostiarios, & ex numero continentium, & monachorum ingredi tabernas.

Ex cõcil. Laodicẽ. si, ca. 24.